



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 3. Quid sentiendum de aliis justitiæ rigorosæ
conditionibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

tem satisfaciendi; licet desit satisfactio personalis, quæ rationabiliter appeti potest.

DICES 1. Si indiget acceptari satisfactio Christi, ergo non est sufficiens.

RESPONDETUR. Si indiget acceptari, ut acceptatione attollatur ejus dignitas, non esset sufficiens; secus si acceptatione illâ, cassetur solum obligatio, personalis satisfactionis.

DICES 2. Offerat Christus satisfactionem suam, ut jam non exigatur satisfactio ab offendentem, vel habet vim faciendi ut acceptetur, vel non habet? si non habet: Ergo opera Theandrica non habent vim merendi infinitam; quia datur aliquod præmium, quod illa merita non merentur. Si autem habent eam vim: ergo non possunt non acceptari.

RESPONDETUR ex suppositione, quod offeratur illa satisfactio à Christo, habet vim ut acceptetur: neq; enim videtur id superare vim meritivam Theandricam; sed quia id fit ex suppositione, quod offerantur ad hoc illa merita, hoc ipso habetur suppositio, quod velit illa acceptare; neq; enim voluntas offerentis est contraria voluntati acceptantis; solumque merentur remissionem obligationis personalis, non autem, ne illud jus ad personalem satisfactionem, indigeat remitti.

INSTABIS. Ponamus per impossibile, esse contrariam voluntatem offerentis & acceptantis, tenebiturne acceptare?

RESPONDETUR. Non tenebitur; quia quamvis sit dicturus Deus de illa satisfactione, *habet vim satisfaciendi*; addere tamen potest, *sed non est ab eo qui offendit*; consequenter tunc indigebit acceptatione. Nec id derogat Theandricæ satisfactioni: quia id quod est impossibile, si non debeat Theandricæ satisfactioni, non illi derogat; jam autem est impossibile, ut auferatur à Deo libertas exigendi, ut sibi fiat satis, ab ipso inhonorante, obligato in propria persona. Deinde est impossibile, ut in illa satisfactione involvatur: *Ego satisfacio qui offendi*: cum non offenderit Deus satisfaciens; si autem in illa satisfactione non involvitur, *Ego satisfacio qui offendi*, & fieret satis independentem ab acceptatione, ut supponitur, & non fieret; quia manet adhuc titulus personalis.

DICES 3. Si poneretur per impossibile satisfactio æqualis, ab ipsâ offendentem purâ creaturâ, non indigeret acceptari satisfactio: Ergo multò magis id dicendum de satisfactione Theandrica.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia in casu antecedentis auferretur jam obligatio personalis, non autem in casu consequentis.

Addi posset, quamvis indigeant acceptari illa merita, ut habeant formalitatem satisfactionis, habent tamen de se condignitatem, ut acceptentur per modum meriti; quæ duæ forma-

litates, ex dictis, distinguere debent, hæcque de prima inquisitum est.

Punctum Difficultatis 3. *Quid sentiendum de aliis justitiæ rigorose Conditionibus.*

QUOD 3. CONDITIONEM. Nempe ut sit ex bonis satisfaciens, & non ex bonis creditoris.

ASSERO 1. Ad perfectam justitiam requiri, ut satisfactio non sit ex bonis creditoris.

RATIO: quia in omni justitiali actu, debet intervenire meum, & tuum; quia debet intervenire æqualitas, quæ debet esse inter duos terminos; hi autem sunt meum tuum; quod jam non servaretur, si satisfactio fieret ex bonis creditoris; interveniret enim meum & meum, & non tuum; ostendit idem inductio, quia aliàs posset aliquis uno furto, pro altero furto satisfacere; denique posset aliquis esse sibi ipsi justus; nam si non requiritur alteritas in bonis, nec in aliis requireretur.

ASSERO 2. Satisfactionem Christi non fuisse ex proprio.

RATIO: quia potest considerari satisfactio Christi, vel prout proficiscitur à natura humana, vel prout proficiscitur à Persona VERBI. Primo modo considerata, non est ex propriis, quia nihil proprium est creaturæ comparatæ ad Deum, sed omnia Dei, ut dictum alibi. Secundo etiam modo sumpta satisfactio, non est ex propriis: quia proprietates dominium importat, nullum autem speciale dominium competit VERBO: cum dominium speciale præsupponat specialem voluntatem & distinctam, quam non habet VERBUM, comparatæ ad alias personas: dominiumque hoc sequitur naturam divinam.

DICES 1. VERBUM habet condistinctum dominium in operationes Christi, quia sustentare & dignificare ita est proprium VERBO, ut non competat ulli alteri personæ; estque omnino independens, quia in ratione terminantis & dignificantis à nullo pendet.

RESPONDETUR. Concedo quod terminare ita spectet ad VERBUM, & ita sit illius proprium, ut ad nullam aliam personam spectet: sed nego inde sequi, quod acquirat dominium speciale: eo quod dominium, sequatur rationem naturæ, jam autem terminare, sequitur rationem personæ: quia verò non habet propriam sibi unam naturam filius, non habet etiam sibi unum proprium dominium. Addo, si terminatio, quam facit Persona VERBI, potest per oppositos facere proprias actiones Christo, multò magis identitas personæ divinæ cum natura divina, faciet omnia illa, toti Trinitati communia.

DICES 2. Jus altum non impedit, quominus privati habeant jus sibi proprium: Ergo nec jus Dei altum in operationes humanas Christi, impedit dominium proprium.

RESPON-

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia jus altum creatum, non debet esse perfectissimum jus, adeoque potest pati, ut excipiat jus primum, contra jus altum; jam autem jus Dei altum, debet esse perfectissimum; perfectius autem erit, si excludat exceptionem à jure divino.

DICES 3. ex Lugone disp. 4. num. 24. Servus, si laesit dominum in fama imponendo illi crimē, satisfaciēt retractando illud quod dixerat, seu laudando dominum in eadem materia, licet illa actio & laudatio posset aliunde esse, ex bonis domini: quia poterat Dominus jure domini, exigere à servo illam actionem: nihilque minus eo casu ille dominus habebit in bonis suis: Ergo & in praesentipoterit satisfieri ex bonis creditoris Dei.

RESPONDETUR negando, quod, per se loquendo, extendatur dominium ultra corporalia servi: si non extrahitur ultra corporalia, hoc ipso habebit dominium servus, laudis ponendae, à se, domino, adeoque ex proprio satisfaciēt. Si tamen extenderetur ad hoc etiam dominatus humanus, jam tunc non faceret satis; posset enim dicere Dominus, *hoc jam aliunde meum est*; nisi forte ponat excessivas laudes, ultra suam obligationem: nullus autem actus est, in quem non extendatur dominium divinum, & qui superet meritum honoris divini.

QUOD 5. CONDITIONEM, Nempē ut satisfactio fiat per aliunde non debita.

ASSERO 1. Ad satisfactionem justitiae rigorosam requiri actus, qui aliunde non sint debiti.

RATIO. Quia, ut ponatur satisfactio, debet dari jus novum in offenso; si enim non detur jus novum, nondum habebitur id, ad quod habendum habebatur jus; consequenter erit adhuc defectus, erit inaequalitas, si inaequalitas, erit injustitia; jam autem si detur res aliunde debita, non datur jus novum. Et certe si in satisfactione justitiae, non deberet dari aliunde non debitum, posset Paulus, qui debet Petro centum ex mutuo, & aliud centum, ratione equi à Petro empti, posset inquam utrique debito satisfacere unica solutione.

ASSERO 2. Operā in vim satisfactionis à Christo posita, fuisse aliunde debita.

RATIO: quia excellentia divina, appropriat sibi illa, titulo cultus & honoris.

RESPONDEBIS ex Suarez. Quod actione infinita, satisfieri possit pluribus titulis, praecipue si plura illa debita non sint justitiae, sed unum non nisi justitiae, & aliud religionis.

CONTRA. Quia negatur, etiam actione infinita, posse pluribus titulis infinitis satisfieri, licet satisfiat pluribus titulis finitis; idque ex eo, per Lugonem: quia valor totus absorbetur uno debito, sibi aequali. Deinde, ut urget Lugo, si quis voluit dare calicem Ecclesiae, & postea ex venditione det calicem, non satisfaciēt utrique titulo, uno calice, etiam si alter titulus sit religio-

nis, alter justitiae; debetque in hoc attendi, an uterque titulus cadat supra eandem rem, vel supra diversam?

ASSERO 3. Etiam posito, quod Christus non venisset, nisi Adam peccasset, adhuc haec conditio deficeret.

RATIO: quia quamvis potuisset non venire Christus, supposito tamen quod venturus esset, non poterant extrahi à dominio Dei, & ne essent cultus excellentiae divinae, illae actiones; ergo essent adhuc aliunde debita.

DICES 1. ex Lugone. Haec satisfactio ut sit justitiae, sufficit, quod alio titulo, defacto, non exigantur illa opera. Illustrat hoc Lugo. Si aliquis mihi ex pacto debet scribere libros, quoties ab ipso petiero; furetur mihi librum, & libro apud ipsum pereunte transcribat similem librum, me inficio & non exigente; quis neget satisfieri mihi ex justitia, si hic alius restituatur? & tamen poterat ab illo exigi titulo illo contractus.

RESPONDETUR. Quod id non convincat, quia mera est divinatio, quod opera Christi titulo religionis & domini non sint exigita. Et certe sicut appetitus distinguitur in innatum & elicatum: ita & exigentiae ad aliqua opera, distinguui possunt; dicique potest, hoc ipso, quia est aliquis non independens physice, ut nos à Deo, vel moraliter ut servus à Domino, hoc ipso inquam, esse exigentiam operum illorum, innatam ut ita dicam, & virtualement. Instantia allata non tenet; si enim aliquis cum scriptore pacisceretur, quicquid scriberet meum erit: tunc transcriptio illa & redditio, non esset justitiae; sed supponitur esse justitiae, quia restringitur, per, *scribes cum voluero*; jam autem dominium Dei est absolutum & irrestrictum; adeoque extendens se ad omnia opera.

INSTABIS. Potest aliquis satisfacere poenitentiae & voto eadem actione; ergo & Christus potuit satisfacere actionibus, quas alio titulo exigebat Deus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nec ex definitione poenitentiae, nec ex definitione voti, sequitur, debere esse materiam, alio titulo non debitam; sequitur autem ex definitione satisfactionis justitiae, quae formalissime, est in creditore acquisitio juris, in re non habita; quomodo autem non habuit id, si hoc jam fuit aliunde suum. Rursus rem eandem praestari titulo poenitentiae, & titulo voti, non aliud est, quam ex duobus motivis idem fieri; jam autem justitiae aequalitas non sistit in solo moveri motivo justitiae, sed etiam in restituendo & exhibendo rem; quae, illa exhibitione, ex ea, quae non erat in re sua, evadit sua; quomodo autem non erat sua, si alio titulo erat sua?

DICES 2. cum Aldrete d. 12. Sect. 4. Non debet quidem fieri satisfactio; ex bonis creditoris, per se loquendo; id tamen fieri potest, in casu, quo illa bona sint constituta sub dominio

debitoris, ob jus, quod debitor habet contra creditorem; concessit autem Deus jus in Christo, in illa opera.

RESPONDETUR. Negando, Deum posse posse hoc iure se privare, de quo alibi.

DICES 3. cum Lugone. Potest fieri satis ex bonis creditoris, modo non minus habeat in bonis post satisfactionem, quam re ipsa haberet, si latus non fuisset.

RESPONDETUR. Negando, quod hoc ipso minus non habeat, si illi fiat restitutio ex illius bonis, & aliunde, supponatur fuisse minoratus.

QUOD ultimam CONDITIONEM, nempe ut satisfactio non sit ex gratia Creditoris.

ASSERO 1. Ad satisfactionem iustitiam requiri, ne sit ex gratia creditoris.

RATIO: quia gratia creditoris, fundat condonationem gratuitam non satisfactionem. Unde si furi, qui furatus est Paulo centum, det Paulus centum, ut sibi restituat; idem planè facit, ac si condonasset.

ASSERO 2. Satisfactionem Christi fuisse ex bonis creditoris Dei.

RATIO: quia in quantum principiabatur à natura humana, principiabatur cum adiutorio supernaturalis gratiæ; quantum autem dignificabatur à Persona VERBI, erat ex gratia creditoris; quia illa dignitas, fundabatur in unione, quæ erat gratuita.

ASSERO 3. In sententia ponente Christum venturum fuisse, si Adam non peccasset, salvari posse hanc conditionem in satisfactione Christi.

RATIO est, quia non impedit ut gratuito accepta, & non hoc titulo data à creditore ut solvas illi, sufficiant ad satisfactionem iustitiam.

RESPONDEBIS 1. ex Lugone. Non impedire rigorem iustitiæ, si id quo satisficit accipiatur à creditore, sed ita, ut gratia creditoris, non nisi partialiter ad hoc se habeat.

CONTRA est. Tum quia, si sufficit ad rigorosam satisfactionem, si partialiter concurrat gratia creditoris: Ergo pro centum debitis Paulo, satisfacet Petrus, dando tantum quinquaginta, & alia quinquaginta, ex gratia creditoris Pauli solvendo. Tum quia, ut probatum, tota hæc satisfactio est ex gratia creditoris Dei. Tum quia, quamvis possit esse satisfactiva retractatio data in scripto, quod conficit ipsemet latus, qui videtur tunc ad satisfactionem partialiter concurrere; id tamen non vincit; nimis enim per accidens, se habet ad retractationem illam; scriptio, facta manu offensi, eò quod v. g. offendens nesciat scribere, & æqualis fuisset ponderis, quamvis aliena manu scripta fuisset; jam autem ad dignificandam satisfactionem præsentem, gratia creditoris Dei per se requiritur, & illa unicum pondus dat.

RESPONDERI potest 2. ex Lugone. Tunc tantum defectum huius conditionis ob stare, quando condonatur aliqua pars debiti, & non solvitur totum.

CONTRA. In præsentem sequitur, non solvi totum, cum totum solutivum, dignitatem suam habeat, ex gratia Dei.

DICES 1. Concurfus Dei quo concurrat ad peccatum, non impedit quominus dicatur peccatum proprium hominis: Ergo nec concurfus Dei per gratiam impedit, quominus dicantur illæ actiones propriæ, & non ex gratia creditoris Dei.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia specialis causa peccati, est ipse homo, & peccatum in eo formaliter consistit, ad quod non concurrat Deus: nempe ad ipsum illius formale, quod est carentia debitæ rectitudinis, quæ est nihil; jam autem ipsum optimum actionis gratiosæ, est à Deo; & nihil in illo ostendi potest, ad quod non concurrat Deus; ipsumque hoc, quod Deus, quantum ex illo, vellet etiam ad positivum illud non concurrere, facit, ne sit Deus causa propria illius etiam materialis peccati, seu ejus quod dicitur peccatum pro positivo, consequenter illud non erit proprium Dei tanquam causæ; bona autem, causat Deus cum inclinatione, vires & excitativa dando, totum illorum esse causando, adeoque illa appropriando.

DICES 2. Gratia creditoris antecedit contractum, & non ingreditur immediatè satisfactionem, non impedit rigorosam satisfactionem; & sic potest aliquis creditor pecuniam commodare, ut laboret debitor, & ex labore, solvat debitum creditori; potest item ex munusculo ante accepto reddere debitum; jam autem gratia creditoris, quæ intervenit in satisfactione Christi, antecessit contractum de satisfaciendo.

RESPONDETUR. In sententia quæ dicit Christum venturum fuisse, quamvis Adam non peccasset, bene salvari potest hæc conditio, ut dictum etiam asserto 3. non tamen in sententia negante, venturum fuisse; quia jam gratiæ donationes, non antecessissent contractum de redemptione, cum fierent propter redemptionem.

DICES 3. Gratia unionis non est facta supposito, sed humanitati, humanitas autem non satisfecit, sed Christus.

RESPONDETUR. Gratiam unionis non esse quidem factam supposito, sed humanitati; quia tamen ipsum suppositum est maxima gratia creditoris, imò ipse creditor in satisfactione transiens, fit ut illa satisfactio, dicenda sit, esse ex gratia creditoris Dei.

QUESTIO III.

De Convenientia Incarnationis.

1. CONVENIENTIA est ducta ex variis auctoritatibus S. Thomæ quæ hinc adscribuntur.

1. Locus est hic q. 1. a. 1. in corp. Respondendo dicendum, quod unicuique rei conveniens est illud, quod competit sibi secundum rationem propriam